







15

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA,  
SISTENS  
CASUM  
SINGULTUS CHRONICI  
VIGINTI QUATUOR ANNORUM.

*Quam*  
AUSPICE DEO PROPITIO,  
*Et Consensu atque Auctoritate Gravis Facultatis Medicae,*  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,  
P R Æ S I D E

DN. D. MICHAELE ALBERTI,

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.  
CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFES.  
SORE PUBLICO ORDINARIO, ETC.

DECANO H. T. SPECTATISSIMO,  
*Domino Patrono, ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,*

PRO GRADU DOCTORIS  
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE.  
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,  
HORS LOCOQUE CONSVETIS,

ANNO MDCCXLIII. D. JANUAR.  
PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET  
AUCTOR ET RESPONDENS

PETRUS NICOLAUS NYEGAARD,

SEELANDIA-DANUS.



HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
TYPIS JO. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.



STADT- u. UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
MAGDEBURG

DR. D. WILHELM ALBERTI  
MAGDEBURG



STADT- u. UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
MAGDEBURG







## PROOEMIUM.



Sensum Naturæ vitalem, sensum Naturæ circa congruas medicationes, sensum Naturæ circa incongruas medicationes si cogitas, cogitas Systematis Medicinæ diviniore momenta, quæ & amplissimi campi sunt, & dignitate, utilitate præstantissima. Vox est præcorum Medicorum *Θεῶν τι* in morbis sæpius esse; sed haud rumpentur ilia afferenti, hanc vocem ferme ipsis fuisse sine mente sonum. Hoc vero habet divinitatis suæ argumentum animus noster, quod hunc sensum altior causa ingenuerit. Illum qui ridet, aut negat, ingræte Dei Numen intelligit. Sed singularem meretur attentionem, quod Natura,

A 2 ra.



ra, sensu hoc duce, contra hostem putaticum, non sine corporis molestia, iisdem armis saepe insurgat, quibus hostem vere talem, summo oeconomiae animalis bono adgreditur. Num justus rerum aestimator hoc beneficium aut poenam reputet, non definitio, praecipitantiam evitaturus. Certum est, summum hoc conservandi corporis arguere studium. Cum vero Casus praesens satis notabilis materiam de his differendi suggerat, Deum, Summum artis divinae Antistitem, comprecor, ut omnia cedant feliciter.

## HISTORIA MORBI.

**U**xor quaedam laboriosa, quadraginta & sex annorum, habitus corporis strictioris, animi meditabundi, singultu fere continuo, tempore quoque nocturno, somnum haud raro interrumpente, per viginti & quatuor annos laboravit. In statu quidem virginitalis valetudo ipsius non adeo fuit adversa: licet enim ab inordinato mensium fluxu molestas versus caput congestiones, & speciatim odontalgiam frequentem (cui scarificationes sine effectu opposuit) experta fuerit, satis tamen tolerabiliter de reliquo vixit. Cum vero anno aetatis suae vicesimo primo matrimonium inire vellet, casus admodum memorabilis aegrotationi chronicae singultuosa, de qua



qua modo dictum est, portam aperuit. Scilicet mulieres, quas vulgo die *Braut-Mütter* appellant, cum proximo ante nuptias die connubialem lectum parassent, & sponsa cenam die *Braut-Suppe*, cum illis capere vellet, nauseam adeo eximiam suscepit, ut primum bolum, in ore quasi turgentem, deglutire non potuerit. Quod fastidium non solum sequente die, quo nuptiæ celebrabantur, cibum sumere prohibebat, sed etiam postea per quinque hebdomades continuabat: unde emarcescendo viribusque deficiendo insigniter frangi observabatur. Noctes toto illo tempore insomnes, eam calamitatem hæud mediocriter augebant. Quæ vero hujus tragædiæ causa esset, non omnium eadem erat sententia: alii enim ab incantatione, ut vulgo fieri solet, hujus mali originem derivando, sexum jam masculinum, jam fœmininum, sceleris auctorem judicabant, & modo proco cuidam, qui antea repulsam a sponsa reportaverat, modo certæ virginis, talem virum ei invidenti, præstigias imputabant. Alii contra causis Physicis tam appetitus, quam somni defectum tribuebant, & inprimis ventriculi debilitatem incusabant. Quare Chirurgi cujusdam auxilium implorabatur, qui emeticum, quod violento motu sepius operabatur, porrigebat. Quamvis autem post vomitorii hujus usum appetitus & somnus redirent, eodem tamen die versus meridiem chronicus iste singultus, qui etiamnum durat, pristini mali vicarius, inaugurabatur. Cumque chirurgo auctori indicaretur, emeticum infecutum



tum fuisse singultum, acidum forſan cibum aſſumptum in culpa eſſe putabat, & eſſentiam quamdam, neſcio qualem, ad motus iſtos ſemi-convulſivos ſupprimendos mittebat. Verum enim vero neque illa eſſentia, neque alia remedia, quorum tot annis permulta adhibita ſunt, neque venaeſectio, quam interdum adminiſtrandam curavit, ſingultum compoſcere potuerunt. Quamvis enim motuum atrociam, progrediente tempore paululum remiſerit, nullo tamen temporis momento ægrotans ab hoc hoſte ſecura eſt; præcipue autem tum inſtare obſervatur, quando cum aliis hominibus, maxime peregrinis, ſermones conferre intendit. Si vero vel in templo, vel alia occaſione hujus motus ſonorum & clangorem ſupprimere allaborat, interiora majore plaga percelluntur; id quod exprimere ſolet, *der Schlucken gäbe ihr alsdenn inwendig deſto heffrigere Biſſe*. Interim tamen ægrotans noſtra in calamitoſo hoc ſtatu duorum liberorum mater facta eſt, ultimumque ejus puerperium abhinc ſeptendecim annis fuit, menſium autem fluxus ante biennium ceſſavit. Mihi ſinem, huic Diſſertationi impoſituro per literas nunciatur, ægram ſub uſu medicamentorum ſingultu plane liberatam fuiſſe, in ejus locum autem dolorem cephalicum non adeo gravem ſucceſſiſſe.

CAPUT





CAPUT PRIMUM  
Physiologico - Pathologicum.

§. I.



aria quidem momenta in præsentî Casu sese offerunt pertractatu satis digna; ne tamen dissertatio nostra inutili mole turgeat, iis tantum pertractandis inhæremus, in quibus cardo totius casus vertitur.

§. II.

Potissima quæ sese offerunt momenta, sunt nausea, somni defectus, singultus. A quamam vero causâ hi adfectus initium duxerint, num a causis materialibus pendeant, an immaterialibus? nec ne? primarium est, & infecuturæ methodi medendi basis. Ut itaque in hoc causarum scrutinio recte procedamus, generatim præfanda esse quædam ducimus.

§. III.

Neminem fugit duumviratus sententiarum de principatu certantium in medicina vigens, nimirum Mechanismus,



mus, & Organismus, vel si quis invidiose in sectæ titulum pruriat, Stahlianismus. Ille principium omnium motuum ponit in corpore per vires & relationes corporis explicandum, hinc definit in causis physicis, materialibus quæ necessitate mechanica agunt, & effectus producunt. Hic principium ponit vitale, inorganicum, omnium motuum, actionum præsidem in statu sano & præter naturam, physicis tamen & mechanicis qualitatibus utens. Et nos veritate duce, phænomena in casu nostro obvia, non materialis, sed immaterialis causæ productum esse demonstrare annitemur.

§. IV.

Primum momentum est nausea. Hæc supponit appetitum. Hic a Systemate medicinæ materialis definitur, quod sit vellicatio fibrarum ventriculi. Statores itaque precarii hujus principii pro causa venditant confictam illam Suctionem, quam fieri credunt ex qualicumque sanguinis consumptione & inde oriente vaporum exinanitione, vi cujus vasâ in ventriculo fugere, & hac suctione molestum illum sensum, quem famem dicimus, producere dicuntur.

§. V.

Haud negatur dari causam appetitus impulsivam, qua natura materiali quodam stimulo, victum capiendi, excitatur. Nimirum probabile est, post chyli distributionem, & alibilium partium consumptionem reliquas fermentescibiles partes & specifica acedine præditas in ventriculo superstites fibras ventriculi nerveas vellicare, & levioris morficationis sensum inducere, ut natura ad alimenta de novo capiendi impellatur. vid. *Excell. D. JUNCKERI Physiol.* quanta vero intercedit differentia inter causam effici-



efficientem & impulsivam, per vulgus ex logicis no-  
rum.

§. VI.

Appetitus itaque secundum saniora artis divinæ  
principia est actus principii inorganici, qui consistit in  
voluntate edendi ac bibendi, seu desiderio ad quæren-  
dum victum a natura excitato.

§. VII.

Quod nauseam attinet, sec. rationes mechanicas de-  
finitur, quod sit lenior motus spasmodicus retrogradus fi-  
brarum muscularium œsophagi, ventriculi, intestinorum.  
Causas ipsius hæc sententia statuit mere materiales, ut sunt  
defectus & inertia salivæ oris, ventriculi, bilis absentia, sa-  
lini suppressio, fibrarum ventriculi laxitas, paralytis &  
quæ sunt alia. conf. etiam BOERHAAV *Institution. §. 809.*  
*pag. m. 400.* Cum vero causæ materiales hunc actum ab-  
solvere non plane queant, tunc secundum System. Medi-  
cinæ organicæ definitur, quod sit actus principii vitalis,  
qui in omissione voluntatis edendi & bibendi residet, pro-  
priae conservationis sæpe amorem, noxii odium, & peri-  
culi metum pro fundamento habens. vid. STAHL.

§. IIX.

Quæritur nunc, num in ægra nostra causa nauseæ  
materialis sit nec ne? certe! omnibus circumstantiis in æ-  
gra nostra præsentibus probe pensatis, patet, nullam cau-  
sæ materialis accusationem hic locum invenire posse. Li-  
cet enim mensium profluvium non tam ordinatum exper-  
ta fuerit, satis tamen tolerabiliter de reliquo vixit. Com-  
pertum etiam habemus, quod circa tempus nauseæ exci-  
tate

B

tate



tatæ nulla primarum viarum, aut alia fenserit incommoda, ita ut ne una quidem causarum inveniri possit, quæ alias inter causas nausæ materiales recenseretur; nec brevi ante illud tempus quodam animi pathemate fuit correpta; hinc causa immaterialis ponatur necesse est. Tertium non datur.

§. IX.

Et cum ægra nostra vigiles duxerit noctes, etiam hujus momenti ratio habenda. Sententia mechanica somnum sic definit: Est ille status medullæ cerebri, in quo nervi non accipiunt a cerebro tam copiosum, nec tam fortem influxum spirituum, ac requiritur eo, ut organa sensuum, motuumque voluntariorum facile & expedite suas actiones exercere possint. Causa proxima esse statuitur penuria subtilissimi spiritus multo longoque molimine elaborandi jamque consumti; unde inanita tenuissima vasa pro tempore vix inflata collabuntur; aut tanta pressio crassioris sanguinis ad corticem cerebri, ut hinc medulla cerebri undique involuta cortici compressa transitu spirituum careat, vid. B. BOERHAV. *Instit. Med. §. 593. 59.*

§. X.

Et definitio & causa rō materiale unice pro fundamento agnoscunt. Hinc aliam definitionem sequor, quod somnus sit sensuum tam externorum, quam internorum temporaria cessatio, eum in finem a natura suscepta, ut & corporis & animi vires restaurentur, vid. *Celeb. atque Excell. Dom. PRÆSID. Physiolog.*

§. XI.

Postmodum somni deficientis causæ materiales variæ statuuntur. Subillorum vero censum, quæ somnum impe-



impediunt & arcent, omnia ea referenda, quæ sanguinis circulum per encephalum reddunt celeriores, ut sunt potus calidi, cibi salsi, acres, medicamenta acria, volatilia, æstus febrilis, vitia primarum viarum, cerebrum irritatum a quacunque causa, sive externa, sive interna; item nimie & protractiores vigilie, alia.

§. XII.

Si cum *ἀγρυπνία* ægrotæ nostræ conferimus omnes has causas materiales, liquido apparet, ne unam quidem in illa adfuisse. Hinc absentibus causis materialibus ponamus necesse est, immaterialem causam; quod infra pluribus videbimus.

§. XIII.

Sequitur nunc arduum ægrotæ nostræ symptoma, nimirum singultus chronicus. Definitur, quod sit septi transversi & adnexarum quarundam partium concussio spasmodico convulsiva, interrupta, molesta, sub inspiratione facta, & cum sonora aeris per os explosione stipata, vid. B. HOFFMANNI *Med. Syst. T. IV. Part. III. Sect. II. cap. IV. pag. m. 419.*

§. XIV.

Cum Practici singultus differentiam annotaverint, quæritur, num ægra nostra vero singultu adfligatur? Datur enim spasmus diaphragmatis, diutius illud in statu rigiditatis servans, & trahendi spiritus difficultatem producens, præterea sine sonitu singultientibus familiari deprehenditur. Supervenit hic adfectus colicæ convulsivæ, insultibus Hystericis. Sed cum verus singultus convulsio diaphragmatis velocissima, & per intervalla re-



eurrens, & in ægra nostra singultus hifce criteriis incedat, hinc vere singultum feſe probat.

§. XV.

Diſtinguunt etiam inter ſingultum acutum & chronicum. Ille morborum acutorum, ut februm acutarum malignarum, exanthematicarum, puerperarum, inflammationis nobiliorum viſcerum comes obſervatur, brevi ad exitum tendit, & mali, imo peſſimi ominis eſt. Hic feſe aſſociat affectibus chronicis, ut ſunt malum hyſtericum, &c. ad biduum, triduum, hebdomades, menſes, annum, annos durans, uti B. HOFFMANN. loco *ſ. XIII.* citato exempla allegat ex BARTHOLIN. *cent. 3. ep. 61.* de muliere per biennium graviter ſinguliente, & *cent. 2. hiſtor. 4.* de ſingultu per quatuor annos infeſtante; & inter exempla ſpirantia ægra noſtra eſt. Ad quamnam ſpeciem ſingultus caſus noſtri referendus, definitu difficile forſan eſt; cum enim cauſis materialibus, & morbis haud nitatur, hinc nec acutus, nec hoc ſenſu chronicus eſt; chronicus tamen eſt ratione durationis.

§. XVI.

Cauſe hujus ſontici affectus variæ ſunt. Pathologi materiales inter cauſas illius numerant ſequentes: Prima ſtatuitur genus nervoſum debile; quo debilius hoc, eo facilius ſubjecta hunc morbum incurrunt, ut infantès, pueri, ſenes &c. Deinde aer frigidus, ac frigidohumidus, ad pedes præſertim admiſſus, hinc eo corripiuntur ſenſibilloris naturæ homines poſt inceſſum pedibus nudis in pavimentis frigidioribus inſtitutum. Ipſa alimenta nimia quantitate ingeſta huic morbo anſam præbent, imo avide devorantes, ita, ut bolus bolum, hau-



haustus haustum trudar, sive secundum antiquum vocabulum; tubercinabundi hoc malum sibi accersunt. Porro assumta nimis acria, & in saburram fatiscientia eundemet excludunt; hinc etiam vomitoria, hyperemeses, hypercatharses, stimulando ventriculum, & intestina ad singultuosum morbum disponunt, cujus rei mentionem jam jam fecit HIPPOCR. *sect. VII. apbor. 3 41. & sect. V. apbor. 41. it.* SYDENHAM. *method. curand. febr. pag. m. 61.* Natales porro suos mutuatur singultus a materia arthritica, podagrica per metastasin ad Diaphragma decumbente, a præpostero topicorum usu; vel si dysenteria, diarrhœæ usu opiatorum, adstringentium suffaminatæ fuerint; materia enim acrimonia peccans intus acta partes nobiliores & nervosas impetit. In censum causarum singultus veniunt inflammationes viscerum nobiliorum, ut diaphragmatis, meningum, ventriculi, intestinorum; infestat itidem singultus, si febrium legitimus decursus præmature anodynorum, opiatorum, adstringentium usu aut turbatus aut interceptus fuerit. Non minus pro causa agnoscit nimias, vel incoercibiles sanguinis effusiones, quæ sunt per uterum, nares, per os, aut quæ per vulnera graviora concitata fuerunt. Singultus causis accensetur adhuc sanguinis ac humorum vitiosa qualitas. Hæc originem suam sumit ab excretionibus sanguinis consuetis, aut imminutis, aut suppressis, quo fit, ut acrimoniam contrahant, aut copia plus justo largiori ad vasa diaphragmatis & ventriculi congerantur. Ex hoc fonte progignat gravidarum præsertim ultimis graviditatis mensibus adfligens, hysteriarum & male menstruarum singultus. Tandem ad progignendum hunc morbum



facit mala partium, quæ thoracem efformant, conformatio. Sic cartilaginis xyphoideæ, seu mucronatæ aut laxitas, aut depressio introrsum vergens, costarum luxationes, fracturæ, contorsiones eundem concitarunt, uti in *obs. med. pract.* ejusmodi exempla prostant. *Conf.* etiam FERNELIUM *Lib. VI. de part. morb. & sympt. cap. 3.*

§. XVII.

Si iterum totam harum causarum materialium seriem cum ægræ nostræ circumstantiis, quæ in historia morbi consignatæ & ex relationibus coram institutis collectæ fuerunt, curatius conferimus, ne una quidem in illa locum invenit. Hinc exclusis causis materialibus ponamus iterum necesse est causam immaterialem. Tertium non datur.

§. XVIII.

Cum itaque nullis argumentis causarum materialium præsentia evinci potest; hinc ad immaterialis principii totum motuum schema in ægra nostra producentis scrutinium progredimur: ubi vela pandere fas est, præsertim cum tota methodus hisce adfectibus medendi hac demonstratione nitatur.

§. XIX.

Probationis momenta, quæ casus noster ipse suggerit, ordine sequenti prosequemur. Incidit morbus, & quidem nausea, in talem temporis articulum, qui ab omni tempore ob varias circumstantias concurrentes ominosus habitus fuit, quo etiam mortales facilius quam alio tempore in suspensiones, timorem, & nescio, quæ mali præfagia, proniores sunt, quibus ceu domesticis furis & Erinnybus divexantur. Causam præbent historio-  
læ,



læ, quæ circumferuntur, & quibus vetulæ, quæ ut Architæ crepitaculum sunt, & ut Apollinis corvi crociunt, juniorum animos innutrient. Symbolam suam confert nimia, gregarix præfertim fortis hominibus admodum familiaris credulitas, quare firmiter animis sedent hujus commatis historiæ, quibus male intellectis, vel in pejorem sensum contorsis cæcam fidem tribuunt, imo illis ceu Saxo adhærent, & in certiora & rectiora monentem debacchantur sæpe, & detonant. Cum itaque ægra nostra harum rerum haud nescia per temperamentum rationem 1) meditata, meticulosa, suspiciosa, taciturna, anxiosa, hæsitans, iracunda, morosa, cum insuper oculis ipsius observabatur, quod 2) antea proco cuidam reputam dederit, quod 3) certa virgo ipsi sponsam invidet, quod 4) dentur ejusmodi homines, quibus conscientia vendibilis, & flexilis, aliis circa hoc tempus insidias struere, & 5) quod fortan cænæ, quam vulgo vocant die Braut-Suppe, noxii quid admistum sit, 6) odia decoxerit, & questus jam secreto dolori mandaverit, certe! certe! principium vitale, corporis sui saluti semper & maxime secundum suam sensitivam unionem intentum & ἀνευθής observans, & cum hisce præfigurationibus conflictans, futuri cautum, in angorem satis magnum conjectum fuit, & ad prævertenda mala nausæ se præmunivit. Quis non videt? exulare hic, quod sub censum materialis alicujus causæ venire possit. Accedit ceu novum thesæos nostræ argumentum, hujus nausæ proractio, cum enim sine causæ materialis nota duraverit, exinde eo certius concluditur, principium vitale eam eadem providentia motum protraxisse.



§. XX.

His prævisis patet, quod credulitatis, præcipientiæ, imprudentiæ, imo impietatis exprobrationem effugere non possint, qui statim vel machinationes & technas diabolicas accusant, vel fascinum inculpant, vel præter nudam causæ obscurissimæ accusationem nil habentes, suspicionem in hunc vel illum transferunt; uti etiam cum ægra nostra factum, dum & sponsa, & adstantium turba culpam mali conjecerint vel in procum, cui sponsa repulsam dedit, vel in virginem, quæ ipsi sponsum talem invidet.

§. XXI.

Accedo ad ægroræ nostræ *argutusæ*, qua, durante nausea, per quinque hebdomadas, divexata fuit. Supra jam rationibus confirmavi, illius causam minime principaliter materialem statui posse; hinc causæ immaterialis probatio superest. Provoamus iterum ad circumstantias §. XIX. commemoratas. Cum enim illæ in principio vitali tumultus moverint, turbas dederint, hinc eventuri mali adhuc timidum, consilium haud mutat, sed propositi tenax, & apprehensionis primæ memor, dies, noctesque excubias agit, ut eo melius adrepentia mala prævertere possit.

§. XXII.

Cum vero alii in contraria scindedantur, putantes, nullum hic locum dari posse incantationibus, hinc sibi sapientes, audaculi, argutuli magis, quam rationibus nixi, firmissime persuasi erant, nauseam natales suos præc. duxisse a causis physicis, materialibus, *conf. Cas.* hinc uno ore omnes, plenisque buccis ventriculum accusabant, eum-



cumque debilitate & atonia laborare acriter contendebant. Chirurgus postea in consilium vocatus, ceu Pathologus erroneus, in eandem ibat sententiam, hinc materialem hostem emetico exturbare putabat, quod etiam tantæ efficacæ fuit, ut septem vicibus emesin cierit. Sed minus prævisi quid insequitur. Succedit nimirum singultus chronicoratus, cui compescendo Acesias noster opposuit essentiam quandam, sed adversum Phœnices Syri! omnia in pejus ruunt, durat ille per multos annos, omnem medicamentorum efficaciam eludens.

§. XXIII.

Supra jamjam demonstravi, causam hujus singultus materialem putaritiam, suppositamque esse; illum vero a causis patheticis, principio inorganico pendere, demonstrare hic allaborabo.

§. XXIV.

Si ullus casus sensum naturæ circa medicationes incongruas evincit, certe! hic est, quare pro certiori thesæ nostræ confirmatione quædam commemorare de eo dignum æque ac necessarium judico. Summus rerum omnium effector principium inorganicum corporis sui rectorem, & præsidem eorum motuum ad vitam & sanitatem collimantium providentissime æque ac clementissime constituit. Hinc idem illud omnimoda sui corporis instruxit cognitione, ut omnibus hisce motibus ratione temporis, quo quisque *evangelicus* instituitur, seligendi organi, quod maxime commodum, proportionis, quæ in definito movendorum motu servatur, imo voluntatis, secundum quam motus vel omittuntur, vel opportune moderantur, vel suscipiuntur, dirigendis,

C

in



in sui conservationem aptum evadat. Ipsorum medicamentorum operatio *diversarum* naturæ subjacet, quæ illorum opera, prout conservationi sui ipsius responder, utitur, sive medicamenta relativam, & respectivam non in se spectatam efficaciam habent, quatenus sensum vitalem adficiunt, & pro diverso sensum vitalem adficiendi modo, diversus operandi modus, sive motus huic sensui conformis administratur. Ex quo nunc princeps illud axioma medico-practicum sequitur, quod methodum medendi naturæ methodus artis in medendo sequatur. Et recte. Quemadmodum enim, uti supra dictum, medicus sui corporis constituta, & sufficienti ejus regendi notitia instructa; ita secundum hanc insitam notitiam divinitus elargitam ceu legem agit. Hinc omnia ea, quæ intra corpus suscepta, quocunque modo id adficient, ad hanc legem, quasi ad omnium motuum in corpore observandorum archetypum, cynosuram, lydium lapidem refert, deve iis convenienter dijudicat, decernit, ea vel eligit, vel rejicit, & damnat. Et hæc omnia mediante sensatione. Hic naturæ sensus in sensoriis internis subtilior, quam in sensoriis exterioribus deprehenditur; longe subtilior autem est in morbis. Hic naturæ sensus invictissime probatur ex toto pathematum naturæ complexu & firmate, ut cura, quam in genere gerit circa sui conservationem, salutaria secernendo, inutilia excernendo, objecta in corpus sumta in salutem convertendo, timore, angustia, ob periculi corporis interitum minitantis presentiam, tristitia, iracundia, furore, imo desperatione, quippe in quibus pathematibus afficitur, si Medicus *in* incongruas molitur curationes, sic enim natura

ræ



ræ novus labor, nova impedimenta objiciuntur. Verum enim vero hæc naturæ pathemata per incongruas medicationes excitata non otiosa sunt. Certe! damna infectura fatis gravia, imo gravissima exinde oriuntur. Unde naturæ in errorem inductio? quæ, si devia, motuum incongruorum fax & tuba est. Bona quidem interdum intentio, sed missis congruis organis, & viis in pejus ruit, in motus delabatur vel impetu peccantes, vel a scopo longe aberrantes, inconsueta excitat symptomata, novum materiæ debellandæ modum molitur, alia illius exturbandæ organa feligit; injuriæ tum sibi tum corpori suo incongruis medelis illaræ impatiens, sævit motibus, quibus etiam pertinacissime adhærescit, vano tamen conatu deferventibus, vel desperabunda motus suspendit; tandem motuum tumultuorum pertæsa succumbit, hinc morborum corruptio, eorundem in alios graviores transitus, & quæ sunt alia. Conf. passim B. STAHLII *diff. de sens. nar. circa curat. incongruas.*

§. XXV.

Si hactenus commemorata ad præsentem nostrum casum applicemus, singulare iracundiæ vitalis argumentum exinde deduci potest. Nam primo principium vitale ob circumstantias §. XX. commemoratas in terrorem & angorem conjectum erat, quam ob causam nausea mali alicujus incursum providenter prævertere studebar. Accedebat deinde antipraxis ipsi invisæ, nausea tam provide suscitæ causam materialem, nullatenus tamen præsentem tollere. Hinc indignabundum primæ apprehensionis memor, motum illum semi-convulsivum arripit, qui



non tantum nihil promoveret, sed cui etiam per tam multos annos pertinacissime inhæsit.

CAPUT SECUNDUM  
quod est Therapevticum.

§. I.



edem nunc movemus ad Therapiam fontici hujus mali specialem. Cura instituitur  
I) removendo materias qualescunque;  
II) alterando motus.

§. II.

I. Quod primum curationis momentum concernit, nimirum qualiscunque materiae remotionem, satis speciosam hic aliquis formare possit objectionem, methodum nostram huic morbo medendi, commentatitiam esse, & supposititiam, cum in superioribus probatum iverimus, causam materialem hic esse commentatitiam, hinc methodus remotiva absque hic esset, ubi nihil removendum. Resp. Causæ materiales adfuerunt multæ, sed motuum turbæ his ingenerandis admodum aptæ fuerunt, & sunt. Quemadmodum motus sanitati & vitæ definitus corpus a putredine præservat, excretiones promoveret, & utile ab inutili sequestrat: ita motus nimius eam efficaciam habet, ut humorum *evaporatio* vitiet, succos laudabiles in excrementa salino-sulphurea, quibus ejiciendis



ciendis paravit natura varia emunctoria, convertat. Sic etiam se res habet cum ægra nostra. Sub nausæ enim molestiis & continua pectoris conquassatione nimius fluidorum attritus, accelerantur impetuose excretiones, major fit excernendorum copia. Notatu etiam dignum est, quod natura semel per incongruas medicationes provocata, exemplo casus nostri, invollet etiam in eas materias, cum quibus ipsi in quotidiano se. & excretionum negotio commercium est; omnia tunc crimen habent, & indignabunda motus non semper ad materię peccantis præsentiam, qualitatem, aut quantitatem metitur, sed secundam propriam indolem, activitatem, apprehensionem, æstimationem, præfigurationem. Hinc omnia ea, quæ ipsi de novo irritandi occasionem ullo modo præbere possunt, caute & subdole quasi subtrahamus, hæcque ratione eam sequiorem reddamus. Hinc placidum Medicus omnium excretionum negotium sibi commendatum habeat. Objiciunt porro alii: Ubi motus præternaturales, ibi causæ materiales, nunquam enim absente causa materiali motus præternaturales observantur, E. assertio nostra precario assumitur. Resp. Supra demonstratum dedi, §. VIII. coll. XX. §. XIII. coll. XXII. §. XIII. coll. XXV. vitii materialis in ægra nostra accusationem precariam esse. Secundo fide observationum practicarum constat, quod *ἀντρονκόσμος* microcosmicus, nulla materiali noxa præsentē, omnino & sæpe se intra limites motuum statui naturali consuetorum contineat, nullis præternaturalibus in subsidium ceu minime necessariis vocatis, alias belli simulacrum, umbratilis pugna, certamen ludicrum esset, quod in tam provide & finaliter



agens minime cadit, excepto, quod ob certam apprehensionem, æstimationem, præfigurationem, ob incongruas medicationes, in hostem licet putatitium se concitet, eumque iis moribus præternaturalibus adgrediatur, quibus alias hostem materiale vitæ & sanitati infestum depellere, & armis exuere annititur, cujus rei præclarum præit exemplum casus noster. Quod dari non insolitum; etenim ob primitivæ perfectionis deperditionem fit, ut primo intuitu non propius semper introspiciat objectorum indolem longe alias res interdu mentientem; vel crimen rebus affigit, falsa illis affingit, & quæ sunt alia. Adhuc instant, quod nobis imponamus, asserendo, nullum vitium materiale hic accusandum esse, quod fallaciam causæ committendo, rotius morbi fundamentum sit inordinatus menstruorum fluxus. Ex historia morbi constat, quod ægra nostra inordinato mensium fluxu laboraverit, molestas versus caput congestiones, & speciatim frequentem odontalgiam, ceu valde frequentes inordinatorum catameniorum comites experta fuerit. Nunc autem itidem constat, quod hysteriæ, male menstruatae non tantum in genere variis motuum ataxiis, sed etiam speciatim, fide observationum medico-practicarum, singultui, facile chronicam indolem induenti, expositæ sint, & circumstantiæ in casu recensitæ causæ tantum occasionales fuerint, quippe quibus major agendi vis accrescit, si in subiecta ad anomalos motus jamjam composita, incidant, uti in ægra nostra factum sit. Aut quod ægra fortasse ante copulam sacerdotalem cum sponso concubuerit, quo facto nauseam ejusmodi fæminis familiarem illo tempore senserit,



ferit, succedens deinde singultus hyperemesi debeat. Resp. Si mensium inordinatus status nausæ, *ἀνεμνίας*, & præsertim singultus causam materialem constituat, citius ægram prehenderint. Si deinde singultus præsertim pro fundamento causam materialem habuerit, multo citius arte medica expugnabilis fuisset. Cum vero hæc omnia derepente ægram nostram invaserint, certius concluditur, alius principium horum motuum causam extitisse. Alteri adhuc objectioni, quam ceu caput Medusæ, seu Ægida prærendunt materialis causæ promachi, occurrendum. Nimirum in Historia morbi mentio injiciatur, quod emesin singultus exceperit. Deinde fide Obl. medico-practicarum, sec. §. XVII. constet, quod hyperemeses, hypercatharses sæpe infecutus fuerit singultus; ex quo clarissime cernitur, singultum ab emetico pendere ceu sua causa, consequenter materialis causæ singultus negatio irritum esset conamen. Resp. Habent omnino suum contactum & effectum physicum medicamenta in corpus admissa, & modum operandi physicum in corpore physico, vi hujus contactus, exserunt. In hunc casum veniunt præ aliis sic dicta heroica, ut catartica, emetica, quæ impetuosè operando stimulo suo partes adficiunt. Sed cum corpus nostrum non sit corpus solitarie physicum, sed vivum, motore nimirum inorganico instructum, qui sensu vitali iudice, duce, medicamentorum effectus mere physicos moderatur, aliosum dirigit, applicat, suspendit, invertit, imminuit, adauger, inertes reddit: ita etiam emeticum illud ægræ nostræ propinatum, nullo materiali præsentè, immediate sensum vitalem aggressum est; & natura hanc *ἀμετρία*



*Stav* advertens, indignabunda motum illum semi-con-  
vulsivum arripuit, cui etiam per tam longum tempus  
renacissime inhæsit, cum tamen sub hoc tempore mate-  
rialis causa plus centies everti potuisset. Hisce obje-  
ctionibus remotis dicendum est, qua ratione quoad pri-  
mum momentum ægra nostra tractata fuerit: 1) V.S. in-  
stituta fuit. Quemadmodum V.S. & operationis celeri-  
tate, & tolerantia facilitate sese commendat: ita multos  
morbos præservat, & præsentis opera focia fugat.  
Quod V.S. in ægra nostra instituta fuerit, primo cura-  
tionis momento respondet. Natura enim superflui san-  
guinis onere levata se- & excretionibus promptius molitur,  
& eo facilius ea, quæ offendiculo ipsi esse possunt, re-  
moventur. 2) Mixtura resolvens ut Tinctura Sal. Tart.  
Liqu. Terræ Foliat. Tart. anodyn. usitat. in justa propor-  
tione exhibita fuit. Cum enim sub motuum exacerbatione  
impuritas generatio contingat, illæ inciduntur,  
ut deinde interpositis laxantibus facilius excerni possint.  
3) Pilulæ balsamicæ Junck. quovis die circa horam de-  
cubitus propinatae fuerunt. Hæ polychrestis usus sunt,  
aguntque in totam massam humorum resolvendo, colli-  
quando, abstergendo, ita ut deinde ope ductionis alvinæ  
corpore ferantur, quæ naturæ sub motibus eluctatoriis  
hactenus consuetis impedimento esse possunt.

§. III.

II. Alterum curationis momentum absolvit motu-  
um alteratio. Ex superioribus constat, quod in præsen-  
ti casu causarum materialium accusatio frustranea; hinc  
primarius medentis scopus alterationi motuum omni cura  
intentum esse.

§. IV.



§. IV.

Alteratio est actus medicationis, quo præcipue humores variis modis immutantur, corriguntur, & præparantur, eum in finem, ut postea tanto commodius & securius possint evacuari. Alteratio quidem in sensu eminentiori fluidis microcosmicis tribuitur, interim tamen Medici alterationem etiam de motibus dicunt, & sic involvit actum mutantem, & in aliud schema transferentem. *Conf. Excell. JUNCKERI Therap. Gen.* Hinc alteratio motuum pro objecto habet motuum excessum, illorumve defectum. Nostrum nunc est, casum nostrum ad theoriam, & therapiam motuum rationalem exigere. Quæritur itaque, quales sint hi motus? Cognito, casum nostrum exhibere schema motuum excedentium, turbatorum, eluctatoriorum, contentiosorum, erroneorum, hinc tutus & optimus alterantium usus erit. Sed objiciat aliquis, motus esse principii vitalis medium, quo ministrante causam morbificam subigit, armis vero suis exurum succumbit. Resp. Alteratio motuum per Defin. non involvit plenariam motuum sublationem, sed illorum moderamen, ita ut reducantur ad illum activitatis gradum, secundum quem in statu naturali decursum suum absolvunt. Cum dein in ægra nostra nullus hostis materialis, cui vincendo motus præternaturaliter aucti opponuntur, sed sunt motus turbulenti secundum principii vitalis æstimationem & suppositionem metiendi, hinc etiam iis sublatis nullus infecuturi damni metus incumbit. His discussis dicendum restat, qua ratione ægra nostra quoad alterum curationis momentum tractata fuerit: 1) Primarium fuit usus pulverum temperantium cum moderantibus nuptorum, sic in

D

rer



ter Temperantia in usum revocata fuere Tartar. Vitriol. Nitr. depur. Conch. citrat. Pulv. Cascarill. Cinnabar. Antim. Inter moderantia Corall. rubr. ppt. massa Pilular. de Cynogloss. omnia iusta proportione combinata. 2) Alterum fuit cucurbitulæ cæcæ, sive diætæ ventosæ applicatio, & quidem in hypochondrio lateris dextri. Ope hujus methodi plenaria infecuta fuit singultus per quinque lustra, & ultra ferocientis cessatio, ita ut ne molimen quidem ægra sentiat. Sed novum motuum spectaculum! Succedit singultui dolor capitis. Unde novum hoc motuum schema? Certè! novum thesaurus nostræ argumentum est, quod insimul materialis causæ accusatæ terriculas plane fugat. Unde causæ materialis probatio? Si orgasmum humorum a motibus succussatoris citum accusamus, profecto! hoc ante multos annos, durante singultu, evenisset, nunc autem illo durante libera semper ab ejusmodi dolore perstitit; & quid impedit, quo minus partes in thorace sitæ ceu morbi sedi propiores affectæ fuerint? quod etiam secus evenit. Sin minus, fortan methodus nostra crimen habet. Si quis anxie etiam sententiæ hujus quærat diverticula, huncce dolorem cephalicum sequelam esse methodi nostræ, minime hic effectus ex elementis laxantis indole, temperantibus, & moderantibus demonstrabilis est. Hinc sequitur, quod hic status sit motus autocraticus ratione sedis hætenus consueta mutatus, sed ratione finis adhuc idem. Naturam enim ideæ primæ impressionis, vid. supra, tenaciter urget, eandemque scenam ludit. Primarium itaque curationis momentum fuit & est medicamentorum hætenus adhibitorum continuatio. Et spes est, fore, ut tandem pertinacia pristini consilii mitescat, cum jamjam indices novum hoc  
**ce symptoma decrescere conspiciatur.**

**TANTUM!**



CLARISSIMO ET DOCTISSIMO  
DOMINO CANDIDATO

*Euegryſav* precatur

P R Æ S E S.

**D**E Socrate SENECA *Ep. 71.* testatur, quod  
*totam Philosophiam revocaverit ad mores, & hanc  
summam dixerit sapientiam bona malaque distin-*  
*guere: id etiam boni ac prudentis medici of-*  
ficium est, ut mores hominum cognitos sibi reddat,  
& quoad morbos indagandos & curandos bona &  
mala distinguat: quare VALESIUS *de Sacr. Phi-*  
*los. c. 75. ex Galeno* testatur, quod *medicina pars sit et-*  
*iam Philosophia morum* & BARTHOLUS THUR-  
SIANUS ait in *Charmide: ubi enim corporis consti-*  
*tionem solum tractat medicus, sed simul etiam ad animi*  
*passiones respicit: quid enim mores ad bonam & ad-*  
versam valetudinem, ad morborum provocationem,  
mitigationem, exacerbationem & curationem, ad  
remediorum bonam & malam, salubrem & insalu-  
brem operationem conferant, non rara, sed quoti-  
diana, quid quod in omnibus hominibus obvia testa-  
tur experientia: quod oscitante uno, alter etiam osci-  
tet; quod somnolentus unus alterum etiam pigrum  
reddat; quod grata Societas comessoribus appeti-  
tum excitet; quod nauseabundus, aliis nauseam mo-  
veat; quod aspectus terribilis animi deliquia, imo  
plane convulsionem causetur; quod profundis cogi-  
tationibus Singultus coerceatur; quod averſatione

D 2

for.



ofrmidolosa scabiosa efflorescentia & varia excre-  
scentia generentur; quod firma & anxia imagina-  
tionem miri effectus in corpore provocentur, innu-  
mera comprobant exempla. Sed posito uno, non  
excluditur alterum: unio animae cum corpore, po-  
stulat sanitatem in utroque subjecto, animus placidus,  
moderatus & tranquillus totam vitae naturalis econo-  
miam in ordinato & temperato statu conservat; tur-  
bulentus vicissim ac perversus animus vitam & sani-  
tatem valde offendit & perturbat: ita etiam corpus  
afflictum, laesum, alteratum, & morbosum, animus  
etiam angit, molestat, afficit, offendit. Nec vicif-  
sim corporis qualitates, vires, relationes, mutatio-  
nes, consensus, actiones, passionis aliaque mutatio-  
nes sec. rationes physicas perspicuas, solidas, con-  
gruas & evidentes obliterari, sed prudenter conci-  
liari debent. Inter alios affectus, corpus alterantes,  
in quibus animi influxus & nexus, quoad generatio-  
nem & curationem, occurrit, Singultus etiam indi-  
candus est, de quo communis & quotidiana innotescit  
observatio, quod anxie & attente de eo cogitan-  
tes intensius & crebrius vexet & affligat; & vice ver-  
sa: quod *Thom. ERASTUS in Dissp. Med.* multis &  
fonticis comprobat exemplis. Quam transitorius  
hicalias affectus esse solet, tam rarus contra is est, qui  
per multos dies, imo plures plane annos durat, &  
morbis diuturnis annumerari potest, qualia exempla  
*Cal. AURELIANUS, Octav. HORATIANUS, EPIPHANIUS, Marc. DONATUS, RIVERIUS, SCHENCKIUS, TULPIUS, BARTHOLINUS, SEBIZIUS, BOHNIUS* recensent. Laude igitur  
TUUS pariter labor prosequendus est, **CLARIS-  
SIME**



SIME CANDIDATE, quo mirabilem Casum de  
Singulo Chronico, quatrilustri termino persistente,  
& affligente, proprio docto studio pro themate In-  
auguralis Speciminis succincte explicasti. Feliciter  
enim ac præclare transacto curriculo academico,  
quo arti salutari addiscendæ egregiam & indefessam  
operam navasti, insuper pulcrum cognitionis thesau-  
rum collegisti, nunc animum ad usum & exercitium  
bonarum doctrinarum applicare sub cœlesti modera-  
mine constituisti, eaque propter ab ordine nostro  
privilegia academica petiisti, quibus acquirendis in  
consuetis scrutiniis profectus nobis æque laude di-  
gnos probasti, ac reliqua probitate vitæ & singulari  
animi modestia TE commendasti: & quamvis non-  
nulla doctæ TUÆ dissertationi ad uberiores dedu-  
ctionem & illustrationem addenda fuissent, tamen  
quia brevitatem selegisti, nolui TUOS circulos &  
sententias turbare. Quod superest, de egregio hoc  
Specimine & honoribus merito assumendis TIBI fin-  
cero & propenso affectu gratulor, optoque, ut di-  
vina clementia honestos TUOS conatus felicissimis  
coronet successibus, mentis ac corporis salubrem  
firmitatem & integritatem TIBI largiatur, honora-  
tissimos PARENTES TIBI diutissime perfecta pro-  
speritate roboratos conservet, efficiatque, ut nunc  
& semper de salutaribus negotiorum TUORUM  
progressibus & eventibus in sempiternam Summi re-  
rum humanarum Directoris gloriam, TUI TUO-  
RUMQUE solamen & oblectamentum, gaudere  
queas. Dab. Pridie Iduum Januarii A. R. S.

cl̄ōl̄ōccc̄xl̄iii.

D 3

PRAE-



PRAESTANTISSIMO DOCTISSIMOQUE  
DOMINO CANDIDATO  
PETRO NICOLAO NYEGAARD

S. P. D.

IOANNES IVNCKERVS.

**Q**Vod thema aliquod inaugurale 'practicum, idque prorsus singulare, *de Singulu viginti quatuor annorum*, solemnī T V A dissertatione publicae eruditorum disquisitioni subii- cere volueris, in eo sane recte fecisti, DOCTISSI- ME CANDIDATE. Ex quo enim aedes meas, per integrum, & quod excurrit, annum, inhabi- tasti, praelectionibus meis omnibus, tam theore- ticis, quam practicis, sedulus non solum interfui- sti, sed praxin quoque clinicam, felici plane suc- cessu, diligenter omnino exercuisti. Quam felix adhuc fuerit T V A curatio, vel solus hiecc morbus chronicus, quem supremo fauente Numine felici- ter



ter superasti, satis superque comprobare poterit. Quumque mihi non solum, sed & Inclyto Medicorum Ordini, consuetis partim examinibus, partim vero inaugurali TUA dissertatione, scientiam in arte salutari TIBI comparatam, abunde satis cognitam feceris, Illustris Medicorum Ordo summos in arte Medica honores quam lubentissime in TE conferre decrevit. Gratulor TIBI hos honores ex animo, CANDIDATE DIGNISSIME, Deumque precor, velit etiam in posterum conatibus TVIS omnibus divina sua gratia quam clementissime adesse, ut in SUI gloriam, in TVAM vero TVORVMque aegrotantium salutem omnia cedant feliciter. Sic vale, DOCTISSIME CANDIDATE, meque amare perge. Scrib. in Acad. Friedericiana d. XII. Ianuarii CIOIÖCCXXXIII.



PRAE.



PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMA  
DOMINO CANDIDATO,

S. D. P.

D. PHILIPPVS ADOLPHVS BOEHMER,  
MEDIC. ET ANATOM. PROF. PVBL. ORD.

**D**Vplex quum fit medicinae fundamentum, ratio & experientia illa iure dicitur medicina rationalis, cuius ex accurata totius corporis, nec non rerum in corpus nostrum agentium cognitione, imo & variis observationibus & experimentis deductæ rationes veram tradunt principiorum explicationem, iustamque docent remediorum adplicationem. Studes, PRAESTANTISSIME CANDIDATE, id præsentis dissertatione inaugurali ulterius confirmare, quum obseruationem singultus chronici exhibeas singularem, quo adpareat, quid in scientia & experientia valeant vires? quid ferre recusent. Itaque laudo conatus TUOS, TIBIQUE simul gratulor hoc specimen, vtpote laudabilis industriae testimonium, qua manuuctionem in scientia medica a viris in arte peritis grata excepisti mente. Gratulor TIBI quoque Summos in Medicina honores, quibus munitus salutare salutari in arte facere conaris progressus, & non TIBI solum sed aliis etiam viuendi occasionem habes commodam. Faxit Summum Numen vt in posterum ex studiorum TUORUM curriculo PARENTES gaudium, solatium aegroti, & patria exoptatos capiant fructus, & vt saluus fortunatusque viuas quam diutissime. Dab.

in Acad. Fridericiana V. Iduum Ianuarii

MDCCCLIII.

PRAE-



PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
DOMINO CANDIDATO

AMICO INTER PAUCOS DILECTISSIMO

S. P. D.

G. L. GRAEBNER

MED. CAND.

**D**Octissimam TVAM perlegi & relegi dissertationem, facile, quanta voluptate, quanta laetitia affectus fuerim conjici potest. Accuratus & diligentius conscripta casum exhibet rariorem, non proponit tantummodo rem; sed inquirat in causas. Iucunditatem argumenti excipit utilitas, continet ea, quae mortalibus miseris, solatio esse possunt. Experientia, doctissima illa magistra quotidiana docet quidem, quod omnes fere homines quam saepissime diuexentur singultu; sed ea ipsa quoque obseruauit hocce malum non in longas durare moras. Id igitur raro, per raro, immo rarissime accidere solet, ut persona per non nullos annos singultum patiat; sed quod singultus per viginti & quatuor annos durauerit cumulus obseruatorum nondum annotauit. Admiratio incrementa capiet, si consideraueris imaginationem quandam rationem huius morbi fuisse. Quidni igitur & ipsum dissertationis argumentum utilissimum, pertractationem commendat. Accedit noua, ut opinor, ratio. Quo rariores obseruationes, eo magis necessariae descriptioes mihi visae sunt. Nec meum iudicium temerum esse iudico. Non defuerunt enim & nostra, & patrum, maiorumque memoria viri doctissimi aequae ac cordatissimi, qui summam obseruationum utilitatem respexerunt, qui in ipsis colligendis, omniae studium omnem industriam collocarunt, qui & a-

E

lios



lios hortari non desisterunt, ad hocce negotium rite perficiendum. Vnius ex plurimis testimonium in medium proferri iuvat BAGLIVI \* scilicet: *Duo cardines, inquit: medicorum sunt, ratio, & observatio. Observatio roramen est filum ad quod dirigi debent medicorum ratiocinia.* Huius aliorumque medicorum, qui omni laude mea maiores, sententiam es assequutus. Nam ita observas hunc casum, vt ex eo probes doctissime, causam materialem neutiquam fuisse rationem horum motuum; sed motus quamuis magnis molestiis arctissimo nexu iunctos salutarem intendisse finem, & quod maximum est a principio altiori suam originem traxisse. Non possum non, quin eundem in finem vnum producam exemplum, notatu dignissimum. Infans vnus anni alio tempore sanus, nescio quo casu spicam iam secali destitutam, duorum pollicum longitudine deglutit, quo tempore saepissime vomuit, ita vt haec per superiora eiectio, nonnullas septimanas continuauerit, simulque omnis illa naturaliter innata alacritas in dies decrescere visa fuit, tristem se egit infantulus; per quinque hebdomadam spatium, illa hunc suum statum tenuerunt; Sed noua molestia, novus adfectus. Denticuli nituntur aperire tumentes gingiuas, tristitia crescit, assiduis doloribus fere conficitur; tandem sub finem sextae septimanae, erupere dentes, post haec octo fere septimanas optime se gessit. Quo tempore superato mutatur res. Denuo dentes erumpere incipiunt. En novos dolores, novosque vomendi conatus, sic totus mutatis vicibus consumitur annus. Tandem cum repetiti concitarentur vomitus, sub his motibus eluctatoriis illud culmi supremum, multo cum sanguine eiiciebatur. Duo hic consideres momenta, partim causam materialem spicam scilicet per totum quidem annum in ventriculo adfuisse; partim conatus vomendi, eo tantum temporis momento, quo dentitionis negotium interuenit observatos fuisse. Ex hac vnica rarione igitur, quod motus vomitorii

\* Oper. Med. libr. II. cap. II. §. 3.

non



non continui fuerint rite concludi potest, non spicam illos excitaſſe. Obiici quidem potest: ſpicam minimi ponderis, cum nulla fere gaudet grauitate, vt *Virro* ſua dum eam adhuc poſſi. deo probat, eos conatus producere non potuiſſe, nec irritare ventriculum; ſed quod pace illorum dixerim, adeant velim ceteros quos habemus obſeruatores, examinent in primis caſum rariffimum in epiſt. d. V. E. L.\* nobis propoſitum: narrat auctor doctiffimus ruſticum quemdam, cum conſueto more ventriculo excutiam immittere voluiſſet, vomitumque excitare intendiſſet, ſub immiſſione eam defregiſſe ita quidem, vt portio ſex pollicum longitudine in ventriculo relinqueretur; & tamen nullum plane notabile incommodum per aliquot ſeptimanas ſenſiſſe; cogitaſſe ſimul ventriculum illud lignum concoquere, vel etiam per alium excernere poſſe. Conſideraturus iam ſpicam, lignum in ventriculo fuiſſe, quamuis nulli motus per nonnullas hebdomades iuncti fuerint, e contrario autem ſingultum, & eiufmodi plures atrociores motus imaginatio- ni natales infelices ſaepiſſime debere, facili negotio in noſtram ſententiam ibit, nempe quod non ſemper cauſa materialis apta ſit, ad motum producendum; ſed multi motus dependeant a principio vitali. Sed circumſcripti epiſtolae cancelli finem ſcriptioni imponere monent, nam eam, non librum ſcribere, non docere; ſed meum in te amorem teſtari allaboro. Di- gniffimus quidem es qui laudibus orneris; ſed amicitia, multa verborum lenocinia reſpuit. Breuiſſimis igitur officio meo ſatisfactorius, gratulor TIBI & diligentiae TVAE haud vulgariſ fructus in genere & honores doctorales in ſpecie. Numen ſupremum TIBI, TVISQUE benedicat conatibus, votaſque omnia ſecundet, vt felix, fauſtusque ſemper; ſed mei quoque memor per multos annorum decurſus viuas, floreas. Vale, meque TVO complectere vt facis amore. Vale etiam  
atque etiam. Vale.

\* L. MULLER in epiſt. de Ventricali excutia lignea p. 8.

E 2

VIRO



VIRO NOBILISSIMO, PRAECLARE DOCTO,  
AC  
FREQUENTI THEORIAE ET PRAESES MEDICAE  
EXERCITIO  
EXPERIENTISSIMO DOMINO  
PETRO NICOLAO NYEGAARD  
PHILOSOPH. ET ART. LIBERAL. BACCALAVR.  
AMICO ET CONTERRANEO  
SVO PERDILECTO  
SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES  
EX ANIMO GRATVLATVR  
C. W.  
D A N V S.

SI nunc ætherea fruererur luce *Melampus* (a)  
Cumque *Macbaonio* viveret *Empedocles*.  
*Theffalus* (b) ac duris relevaret corpora morbis,  
Vel ferret miseris *Nicone natus* (c) opem,  
Atque iterum sacras *Podalirius* afferat herbas,  
De tumulo doctus surgat & *Hippocrates*,  
Et gelidos *Pæon* manes exosus & umbras  
Atra tenebrosis colligar ossa rogis,  
Si Medicos omnes coluit quos prisca vetustas  
Rursus ab *Elysiis* redderet umbra locis:  
Jam veteres *Coos* clarosque *Macbaonas* inter  
Tu NYEGAARD poteris Principis esse loco.  
Quo non res medicas callet prudentior alter  
Nec *Sophiæ* fontes plenior ore bibit.  
Hinc NYEGAARD *præstans!* blando *Te Juppiter* astro  
Et *Divum* adspexit pronus ab axe favor,

(a) Amythaonis filius Medicus & Vates de quo vid. *Apollodorus* Libro I. *Biblioth. Star. Theb.* 3. 452. *Tibull.* 4. l. 120.

(b) *Aesculapius.* (c) *Galenus.*

Dum



Dum *Myrtus Phæbea* comas, *bederaque* sequaces  
 Æternæ redimunt frondis honore caput.  
 Dum *Tibi* se veteris credit sapientia *Coi*  
 Et famam *Hippocrates*, datque *Galenus* opes.  
 Te nunc *Aonia* (d) vallant circum agmina *Musa*  
 Et sonat in laudes *docta Tbalia Tuas*,  
 Quodque magis vulgo medicas discriminet artes  
 Natura arbitriis nunc vacat ipsa *Tuis*:  
 Cedite pestiferi, lethalia vulnera, morbi  
 Cedite! *Apollinea* nunc redit artis honos,  
 Pilea fatidicus *Vates* (e) jam donat *Alumno*,  
 Qui fera *Tartareis* inferet arma *rogis*.  
 Væ *Tibi* fatalis corrodens viscera *Febris*  
 Torque homini misero noxia sæpe malis!  
 Væ *Tibi* cum dira rabie nodosa *Podagra*,  
 Et crucians animos *Calculo* mille modis!  
 Væ *Tibi* cum tristi capitis vertigine *Cancer*,  
 Et gravis exedens corda jecurque *dolor*!  
*Morris* adest *domitor*, rigida fecedite *Parca*!  
 Quilibet hoc Medico sentiet æger opem.  
*Plaudite Thespiades* (f) generosæ laudis *Alumno*!  
 Et cingat sacras laurus opaca comas.  
*Pievides* doctæ, *sacrique Heliconis Alumni*  
 Cingite florentes fronde virente comas!  
 Laureolâ roseam DOCTORIS cingite frontem,  
 Frontis honoratæ quæ solet esse comes:  
 Non illi oppositis fallax *Ignovia* castris  
 Dissuasit *veræ Nobilitatis* itey,  
 Non glacialis *hyems*, rigidi aut *vis flammea Concrui*  
 Invisas *Phæbi* fecit habere domos.  
*Castalios* igitur merito *Parnassia* succos  
 Promptit inexhausto fluminé *Musa Tibi*.

Da

(d) *Virg. Georg.* 3. 11. (e) *Plin.* 11. 37. sub fin. (f) *Ovid. Met.* 5. 310.



Da veniam, precor, indoctæ sterilique *Camæna*  
Carmine si laudes inferiore premam,  
Virtutis laudisque *Tua* decurrere campum  
Finibus angustis pagina parva vetat.  
Impar nostra nimis, fateor, conatibus istis  
Vena, nec est magnis dotibus æqua *Tuis*.  
*Virtus, Forma, Fides & blandi Gratia* vultus  
*Mente* sub *Aënia* consociata nitent.  
Sublimem ingenii quisque miratur honorem  
Plaudentique refert talia verba sono:  
Hic dignus sacra redimat quem fronde *Sophia*  
DOCTOREM & merito *Pulpita clara* creent.  
Felix! cui facili sic fors arrisit ocello  
Annuit & lepidis sic *Dea* (g) docta genis.  
Gratulor eximiam niveo *Tibi* pectore fortem  
Et partum ingenuo nobile *Marte* decus.  
Vive diu felix clarosque *Macbaonas* inter  
Alis ingenii scande per astra *Poli*  
Vive *Togá* dignis voveo capitisque corona  
Et felix cæpris annuat aura *Tuis*.  
Vive diu medicâ, voveo, celeberrimus arte  
Et cupidam miseris utilis affer opem.  
Sors mala non minuat longæve tempora vitæ  
Nec celerem properet mors inopina gradum;  
Ut virides hederæ latè sua brachia pandunt  
Et virides spargunt alta per astra comas,  
Sic vigeat longum *Pietas, Doctrina, Fidesque*  
Præmia nec meritis inferiora cadant.

brevius:

*Gratulor, admiror, veneror, deprædico, laudo,*  
*Ingenium, dozes, stemmata, robur, opus.*

(g) Cic. Nat. D. 3. 18. Virg. Eccl. 4. v. 63.

Ben



\* \* \*

**S**En nennt man in der Welt gelehrt?  
 Den der aus ächten Gründen  
 Das was der Wahrheit zugehört  
 Geschickt ist zu erfinden.  
 Was ist ein ächter Musen-Sohn?  
 Der alles gründlich fasset  
 Und der den unverdienten Lohn  
 So wie die Falschheit hasset.  
 Wem ist die Meditrine hold  
 Dem, der den Nächsten liebet  
 Und nicht um Ehre, Gunst und Gold  
 Sein froh Gewissen giebet.  
 Wen hält die Meditrine werth  
 Den Doctor-Hut zu geben?  
 Dem, der gelehrt und klug verfährt  
 Und der in seinem Leben  
 Diefelbe Zeit verlohren schätzt  
 In der er sich nicht mühet,  
 Daß seine Wissenschaft zulezt  
 Erwünschten Vortheil ziehet.  
 Dieß alles hast Du wohl bedacht  
 Hochwerther Freund und Bruder,  
 Jetzt wird Dir ein Compass gebracht  
 Ein Schiff mit Mast und Ruder.  
 Du wirst ein Steur-Mann auf der See  
 Wo viele Klippen liegen.  
 Doch wag Dich immer auf die Höh  
 Und laß die Seegel fliegen.  
 Denn Du weist ja den besten Grund  
 Die Anker einzuwerffen

Der.



Verzeih! es sucht mein Herz und Mund  
Dir dieß nur einzuschärfen  
Daß Du in Kranckheit und Gefahr  
Dein schönes Wissen übest  
Und alles was gewiß und wahr  
Als Deine Hoffnung liebest.  
Der Höchste sey Dein Schirm und Schild  
Bey Deinem guten Willen  
So weist Du, wenn die See gleich schwillt  
Sie werde sich bald füllen.

Dieses schrieb dem Hoch-Edlen Herrn Respondenten  
zu gütiger Erinnerung gepflogener Freundschaft

Carl Benjamin Haupt,  
aus Breslau, Med. C.





2te 156. d. 2.

ULB Halle 3  
001 876 392



TA-50L  
(5A-2A folio)









Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA,  
SISTENS  
CASUM  
SINGULTUS CHRONICI  
VIGINTI QUATUOR ANNORUM.

*Quam*  
AUSPICE DEO PROPITIO,  
*Et Consensu atque Auctoritate Grariose Facultatis Medicae,*  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,  
P R Æ S I D E  
DN. D. MICHAELE ALBERTI,  
SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB.  
CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFES-  
SORE PUBLICO ORDINARIO, ETC.  
DECANO H. T. SPECTATISSIMO,  
*Domino Patrono, ac Promotore suo, omni honoris cultu prosequendo,*  
PRO GRADU DOCTORIS  
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE-  
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,  
HORIS LOCOQUE CONSUEVIS,  
ANNO MDCCXLIII. D. JANUAR.  
PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET  
AUCTOR ET RESPONDENS  
PETRUS NICOLAUS NYEGAARD,  
SEELANDIA-DANUS.



HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
TYPIS JO. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.